



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118561**

§. 5. Patrum reverentia erga opiniones Scholasticas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

„derent, ne fieret laicorum in Sacer-  
 „dotes commotio, quasi fraudarentur  
 „ab ipsis ea majori gratia, quæ duarum  
 „specierum sumptioni\* tribuitur. De  
 „decimo: Utrum, antequam Evcharistia  
 „sumatur, necesse sit peccata confiteri,  
 „cum utrinque multi, gravissimique  
 „scriptores adsint, videtur mihi, po-  
 „sitionem allatam simpliciter reijcien-  
 „dam, statuendumque, ut unusquis-  
 „que, antequam Evcharistiam sumeret,  
 „obligaretur omnino ad noxas confiten-  
 „das: cum alias, ubi aliter fieret, mag-  
 „num periculum adiretur: nihil tamen  
 „dubito, quin Patres ea sint consilia  
 „suscepturi, quæ christianæ reipublicæ,  
 „ac religioni prodesse plurimum. „

## S. V.

*Patrum reverentia erga opiniones  
 Scholasticas.*

Præterea Legatus omnino censebat, *Pallav. l. c.*  
 decisiones ita temperandas, atque  
 earum voces tam accurate seligendas,  
 ac trutinandas esse, ut diversis Schola-  
 rum opinionibus, circa quas Doctores  
 Catholici aliunde inter se diffidebant,  
 nulla inferretur injuria. Enimvero pru-  
 dentia legibus apprime consonum hoc  
 erat, ne Synodus novis tumultibus Eccle-  
 siam exponeret per funestas altercatio-  
 nes,



Sæcul. XVI. nes, quæ absque dubio inter Theologos  
 A.C. 1557. fuissent suscitæ, si quædam ejusmodi  
 opiniones fuissent discussæ, ac proscrip-  
 tæ. Insuper providum hoc consilium  
 ipsemet summus Pontifex vehementer  
 urfisse videtur, dum disertis verbis præ-  
 ceperat, ut salvæ relinquerentur Scho-  
 larum opiniones, nec Theologorum ullus  
 absque necessitate offenderetur, sed potius  
 omnium Catholicorum vires adversus  
 Sectarios juncta opera intenderentur.  
 Id quoque accurate fuisse observatum  
 ex ipsis deprehenditur verbis, quibus  
 Synodi Decreta fuere concepta: anxia  
 enim, si ita dicere fas est, religiositate  
 Concilii Patres studiose inquirebant in  
 voces, quæ ex probatis Scholis nullam  
 ullo pacto offenderent, veritatem tamen,  
 quæ definiretur, exacte declararent. Hæc  
 agendi ratio magis adhuc elucebit in  
 decisionibus, quæ in decima quarta  
 Sessione circa Sacramentum Pœnitenti-  
 æ fuerunt promulgatæ.

## §. VI.

*Varie Præsulum sententiæ circa nonum  
 & decimum articulum.*

*Callav. c. 2.  
 n. 11. & 12.*

Postquam Legatus hæc monita Patri-  
 bus proponebat, Tridentinus Car-  
 dinalis, cui proxime dicendi jûs erat,  
 præfatos condemnabat articulos, simul  
 tamen